



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, 1664

Qvæst. I. An humanitas assumpta à verbo fuerit vnione sui indiuisibili, an
diuisibili eorum quibus essentialiter constat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

ac proinde assumptis formaliter humanitatem, estque incarnata, alioqui in vtraque persona contradictoria admittentur. Simile argumentum pro sua reali modali distinctione personalitatum ab essentia iidem efformabant in illis predicatis essentia communicatur Filio, Patris personalitas non communicatur, ac proinde alij ad distinctionem virtuales, alij ad Scoticam ex natura rei confugiunt, secundam Relationem ex prima non deduci ostendimus controu. de Trinit. quia ratione identitatis inadæquata, quam habet essentia cum personis singulis non inferitur id, quod in vna habet, habituram in reliquis, sicut neque, vt identificatam cum vna reliquas fore. Primæ argumenti parti respondetur terminari, & non terminare respectu entis illimitati, & infinito vnus siue (vt sic cum Bernardo loquar) vnissimi, atque simplicissimi, cuiusmodi est diuina verbi persona, contradictoria non esse, quæ respectu creaturarum contradictoria sunt: quæ, quia limitata entitatis, & perfectionis. & vnitatis sunt, non possunt diuersa adunare, nedum aduersa, & repugnantia. Deus autem summam habens vnitatem, quæ aliàs de se pugnant, nec solum diuersa, sed opposita sunt, in se adunat, amiceque sine contradictione sed positius suis perfectionibus, componit id enim vnitatis munus est, aliàs diuina adunare, ad vnumque redigere: quare summæ vnitatis diuinæ, quæ summæ aliàs discordant increatis, vt quæ in illis contradicunt in se sine eorum contradictione adunare: igitur tantum abest, vt ex contradictoriorum aliàs verificatione in Deo ipsius realis vnitatis impugnetur, vt inde potius immensum excedens creatis vnitatibus ostendatur vt docebamur controu. de Trinit. disp. 8. q. 2. cert. 2. n. 2. sine. Neque melior nobis ratio in hac vita de re tanta occurrit: quamuis non sit contemnenda ea, quam subodoratus fuit Canar. 1. p. q. 28. à 2. d. 3. p. 3. valdeque promouit, atque illustrat Vasq. 1. p. t. 2. d. 20. c. 6. n. 2. nimirum, quantumuis in eis propositionibus, realiter, addatur à nobis, cum non, nisi nostris conceptibus, loqui possimus, quibus eandem rem simplicissimam in varias formalitates necessariò dissecamus, nullatenus realem distinctionem inferri posse. Si autem, vt Deus se ipsum, atque vtrumque hoc terminandi, & non terminandi munus, ac beati concipiunt conciperemus, vno conceptu, ac sine vlla terminorum contradictione, mysterium hoc intelligeremus, sicuti re ipsa est: nunc autem ratione nostra, quantum fieri in hac vita potest, explicatur à nobis, & adeo nobis se nostro captui accommodante reuelatur.



DISPUTATIO II.

De vniõis hyposthatice immediatis terminis, ordine, & natura.



OTAM naturam humanam corpore scilicet, & animo rationali constantem assumptam à verbo fuisse dogmaticè contra Iudæos, & hæreticos proxima disputatione euicimus. Nunc autem liberiori theologia examinandum restat, an tota humanitas in se indiuisibili vnione assumpta, vnitaque verbo fuerit? An vnione diuisibili, qua animus, & materia, seu corpus, eorumque vnio vnita verbo sint? Secundo, quo ordine partes assumpserit, an corpus media anima, vel contra: an vtramque simul? Tertio: an partes omnes integrantes humanum corpus assumpserit? Quarto de termino formalis, seu immediato vnionis ex parte verbi assumentis. Quintò de vnionis hyposthatice natura.



QVÆSTIO I.

An humanitas assumpta à verbo fuerit vnione sui indiuisibili? An diuisibili eorum, quibus essentialiter constat.



OTA, vt videbimus humanitas assumpta à verbo hyposthaticè fuit. Id autem dupliciter excogitari potest, vel assumptione omni, ex quibus essentialiter constat, diuisibili quidem, pro earum inter se distinctione, vel indiuisibili totius humanitatis simul, semelque verbo vnita. Vtro autem ex his modo humanitatis Christi assumptio, vnioe ad verbum contigerit præsentis quæstionis materia est.

CERTAMEN I.

Sola vnione diuisibili compacta ex vnionibus partium, quibus constat humanitas, vnita verbo, ab eoque assumpta fuit.

VAsquez d. 39. ex Scoto in 3. d. 2. q. 2. §. *Ideo quæritur*: & Almaino ibi q. 1. post concl. 3. quibus consensit Durand. ibi q. 2. asserit vnica solum, & indiuisibili vnione totam humanitatem à verbo assumptam fuisse, neque aliter fieri potuisse. Putat enim, cum ibi, cum d. 37. c. 8. aliasque sæpè, animam, & materiam atque vniuersim partes omnes, quandiu vnita inter se sunt, totumque componunt sustentari ab alio, atque aliena substantia suppositari per se minimè posse, sed solum ratione totius in quo sunt: cui soli, sicut esse per se, & in propria substantia competit, ita, & ab alio sustentari atque suppositari substantia aliena: cum autem anima, & corpus, quibus humanitas Christi actu componebatur, cum actu vniebatur inter se vnita essent, totumque componerent, non poterant per se hyposthaticè vniri, siue ab eo sustentari, eiusque substantia subsisteret, quare sola humanitas assumi ad vnionem hyposthaticam cum verbo indiuisibiliter, ac tota simul per se potuit: anima verò, & corpus, seu materia non per se, sed quantum in ipsa erant. Verum præter præsentis concl. subiiciendam consultationem, cum nostram statuamus aduersam, doctrina principij, ex quo illam deducit confutata à nobis est. d. 1. q. 1. cert. 2. n. 3. vbi ostendimus quantumuis substantiæ partem assumi posse hyposthaticè à verbo siue dependenter ab vnione ad personam diuinam quantum existeret, etiam cum actu componit, vt patet: quo in casu ab ea dubio procul sustentaretur, atque in eius hyposthafi existeret, licet non esset persona, & eque suppositum: quia omnium sententiæ totalitatem non habet naturæ, quam ex Patribus necessariò dicit suppositum, vel persona. Quoniam autem eruditus Pater, Patrum locutionibus, vt debebat, intentus erat, atque sustentari ab alio, atque esse personam idem reputabat, vnionem ad hyposthatim partibus denggavit. Imò, & separatis etiam partibus essentialibus, & ætherogeneis, vt ibidem referebamus numero 2. in super fallum est, vt numero 3. ostendimus, ea, quæ incapacia sunt substantiæ propriæ incapacia esse, vt in se, & per se assumantur ad hyposthaticam vnionem: etenim anima, & materia humanitatis Christi, cum partes essentia sua sint, substantiæ propriæ incapacia sunt, ipso Vasq. consentiente d. proem. q. 3. cert. 1. num. 2. & tam enim verbo vnitas, in se, & per se in triduo mortis fuisse dogmaticum est.

2. Soarius disput. 17. sect. 5. à §. *Secundo modo*: docet vtroque modo humanitatem verbo vnione hyposthatice assumptam fuisse, & diuisibili partium vnione

vnione ad verbum, & indiuisibili totius humanitatis simul. extremum hoc, in quo Soario cum Vasquez conuenit statim, vt dixi confutabo, quatenus verò ab eo discordat asserens, & vnione diuisibili partium, quibus constat humanitatem vnitam verbo fuisse, ab eoque assumptam, ac rursus totam simul vnione sui ad verbum indiuisibili impugnatur facile: quia si tota vnione diuisibili ex vnionibus partium conflata assumpta humanitas est, indiuisibilis alia totius humanitatis vnio omnino superfluit, vel contra: si indiuisibili hac vnione totius humanitatis simul fuit assumpta diuisibilis alia prorsus redundabit: quare alterutra redundante falsò vtraque asseritur: cum alterutra sola constet mysterium totum secundum omnia, quæ de illo fides, & Ecclesia docent; Secundò nullam substantiæ partem essentialem subsistentiæ propriæ capacem esse ostendimus d. proem. q. 3. cert. 1. num. 3. & 4. atqui per Soarium quæ capacia subsistentiæ propriæ non sunt, neque alienæ sunt capacia nequeunt; ad vnionem hypostaticam cum alieno supposito assumi: ergò partes essentialia, quibus humanitas Christi constabat; per ipsum assumi hypostaticè ad vnionem cum verbo non poterunt. Tertio, cum ipse constanter doceat formas educibiles, quæ à subiecto pendent, quando pendent, in illo; passiuè, nec solè informatiue recipiuntur subsistentiam partialem non habere, nescio quo pacto sanguinis Christi formam hypostaticè à verbo assumptam fuisse defendat in statu compositionis in quo propriam subsistentiam habere non potest; quare neque terminare alienam, iuxta principium Soarij, & modalium cæterorum proximè memoratum. Etenim pro quo modulo subsistentiæ propriæ aliena illa subsistit (vt necessariò subsistentia aliena in eorum opinione substituere debet) in forma materiali componente, quæ nullam adhuc partialem subsistentiam in Soarij opinione habet: sed de hoc q. 3.

3 Petrus Hurtado consecrariè ad ea, quæ in physicis docuit de duplici modo vnionis formæ, & materiæ in quouis composito, quorum alter se ex parte materiæ teneat, alter verò ex parte formæ, vt æquè alterutra alteri vnita sit, vnionem diuisibilem, licet alio modo asserere tenebatur: cum enim æquè verbum humanitati vnitum sit, atque humanitas verbo: imò, vt Athanasius in symbolo aiebat, *sicut anima rationalis, & caro*; atque intimitas vnionis ex eo pendeat, quod id quod vnitur ex parte sui vnionem habeat, nec satis fit vnione alterius ad ipsum alteri reuinciri, vnionem ex parte verbi se tenentem asserere debebat: sed tamen cum in illo intrinsecè subiectari nequeat, idque serentere ex parte extremi vniti in eius sententia sit, nequit hic duplicem vnionem hypostaticam creatam admittere, sed alteram earum incretam esse ait: quo ex parte Thomist. ac vt videbimus quæstione quinta, certamine primo, nec difficultatem, cuius metu duas vniones in quouis composito excogitauit, effugit, vt videbimus ibi certamine tertio, quo iatis, vt alia quæ ibi contra ipsum dedimus præter eam, opinio illa physicorum impugnatur. denique Gabriel in 3. disputatione secunda, quæstione prima, articulo secundo, conclusionè secunda: alio modo vnionem hypostaticam verbi ad humanitatem indiuisibilem docuit: quia scilicet vnio hæc ad solam animam Christi per se, & in se fuerit terminata, ac ratione vnionis materiæ cum anima, tam materiæ, quam humanitas tota solummodo fuerint verbo vnitæ, mediatè quidem, & in se immediatè: quo pacto Patrum locutiones propendens quæstione secunda, explicuit. Verum sententiam hanc Almainus citatus periculosam meritò censet. Primò enim non assumpsisset verbum totam integram, vt patres, & concilia memorata disputatione prima, quæstione tertia; docuerunt. Secundò non esset communicatio idioma-tum ab iisdem asserta: cum Verbum propriè non humanitatem, sed animam haberet solum: quare, neque habens humanitatem, & habens deitatem item foret. Tertio: quia si ratione vnionis ad animam materiæ, seu corpus verbo dicatur vnitum,

R. P. Christoph de Ortega, de Dei incarnat.

pereunte eius vnione ad animam verbo nullatenus vniretur: ac permansit materia verbo vnita in triduo mortis Christi, vt dogmaticum est: ergò non, quia vnita erat animæ à verbo assumptæ, assumpta solummodo materia à verbo fuit, sed, quia per se, & in se fuit etiam verbo vnita. Dices materiam in triduo vnitam fuisse verbo, denudè in se licet antea non ita vniretur. Contra primò: quia eius nouæ assumptionis nulla erat ratio, aut motuum redemptionis, ex quo solummodo vnio verbi facta fuit. Contra secundò, quia Patres æquè, atque ex eadem ratione concludunt animam, & materiam in triduo separatas, vnitas verbo permansisse: *Quia, quod semel assumpsit nunquam dimisit*: quare non denudè materiam vnitam, sed in vnione æquè, atque animam, conseruatam tunc fuisse docent: ex eo nimirum, quod vtraque in incarnatione æquè immediatè in se fuerit verbo vnita.

4 Dico primò verbum humanitatis assumptæ partibus singulis vnitum hypostaticè fuit. Est contra Vasquez conclusio; sed est altissiodorensis 3. summ. tractatu primo, capite primo, quæstione secunda, Richardi in 3. 2. quæst. 2. à 2. Abulens. Paradox. 2. capite quarto, Caietanus tertia parte, quæstione 6. à 2. & 5. vbi eam docet sanctus Thomas ad 1. Soar. proximè citatus. Quatenus autem Gabrielis opinio aduersatur probata proximè est. Nunc probatur contra Vasquez: Quia tota humanitas assumpta in se, atque vnita hypostaticè verbo fuit: non vnione indiuisibili ad totam indiuisibiliter terminata; ergò vnione diuisibili ex partium omnium, quibus constat, vnionibus ad verbum compacta. Maior est de fide, & consecutio legitima. Minor probatur primo ex Ambrosio recitatio, disputatione prima, quæstione tertia, certamine quarto, numero secundo, illis verbis *suscipit animam meam: suscepit corpus meum*. Secundò: quia in triduo mortis animæ, & materiæ separatis mansisse vnitum verbum, Patres, & Concilia, totaque theologia asserit; quia, quod semel assumpsit nunquam dimisit, theologicum axioma fert: Nisi autem partes humanitatis, nempe materiæ, & animæ, assumptæ in se essent, ac non solum ratione humanitatis totius in se solum assumptæ, in qua continebantur cum destructa in triduo mortis humanitate in ea non continerentur, vt assumptionis in humanitate perseverare non deberent: maximè, cum tunc temporis vnio materiæ, & in se ad verbum nullatenus ad hominum reparationem inferuiret. Tertio minus philosophicè vnio noua partium humanitatis in aduersa sententia adstruitur, præter eam, qua viuente Christo verbo vniebantur, ac prorsus tunc temporis periit, quod non eueniret, si partes in se in incarnatione verbo vnitæ fuerunt, vt asseruimus. Quarto à priori ex nostris principiis: quia assumptio ad vnionem hypostaticam nihil aliud est, quam existentia assumpti dependenter ab vnione ad hypostasim, ad quam assumitur ergo pro signo quo rei assumptæ competit, existentia in se, competet, & existentia in se dependenter ab vnione: atqui partibus humanitatis, quæ vtriusque existentia effectus est, vt totum ex vtraque constans: ergò pro priori naturæ partes humanitatis habent in existentiam dependenter ab vnione hypostatica.

5 Dico secundo contra Vasquez, & Soar. Humanitas tota non fuit assumpta à verbo per aliam vnionem hypostaticam indiuisibiliter; nec ita assumi potuit. Quoad primam partem habet patronos, quos dedimus pro conclusione 1. Soar. excepto, pro quo ex suppositione primæ adest nobis Vasq. citata disp. 39. cap. 2. numero 9. Probaturque facile: quia, vt supra dicebamus posita vnione partium omnium simul in se ad verbum nequit non tota humanitas quæ ab eis simul non differt, vnita esse verbo: ac proinde alia vnio humanitatis totius simul, & indiuisibiliter illam verbo vnians, est superflua. Secunda conclusionis pars negatiua de possibili etiam, quæ contra Vasquez, & Soarez est, probatur quia percipi non potest totum compositum, quod nihil est, quam partes omnes in se

P p 2 simul

simul sumpta siue vnita in se vniri non vnitis in se partibus, à quibus omnibus vnitis, neque realiter, neque formaliter differt: inferretur enim totum in se vnitum non esse à definitione physica ad definitum. Nec quidquam præstat illud Vasquez paradoxon de quarta entitate compositi substantialis viuientis, quæ sit materiæ viuificatio ab vnione diuersa. Solum enim probabit & illam etiam in se vnendam necessariò esse, vt tota humanitas in se vnatur. Confirmatur ex omnibus vnionibus rei indiuisibilis ad rem diuisibilem: anima enim ita materiæ toti vnitur in homine, vt tota vnatur cuius parti materiæ in se, ac Christus ita quantitatè, eucharistiæ, vt totus cuius parti quantitatè vnatur: sicque totus toti quantitatè vnitus est: nec toti vnitus concipi potest quantitatè toti in se, nisi totus singulis, & omnibus eius partibus vnatur. Probat secundò ex nostris principiis: quia existentia totius humanitatis nihil est aliud, quam existentia diuisibilis partium in se omnium simul: ergo existentia totius humanitatis dependenter ab vnione ad aliud, quod pars huius compositi non sit, nihil aliud erit quam existentia partium omnium in se simul dependenter ab vnione ad aliud, quod pars humanitatis, seu huius compositi non sit: atqui per assumptionem partium humanitatis in se ponitur solummodo existentia partium omnium in se coniunctim dependenter ab vnione ad verbum, quod pars humanitatis non sit; ergo per hanc solummodo ponitur existentia humanitatis dependenter ab vnione ad verbum, quod pars ipsius non est: at hoc formalissimè est assumi humanitatem à verbo, ac non esse in propria persona, sed in aliena verbi, vt ostendebamus d. proem. q. 2. cert. 5. ergò non alio modo assumi à verbo humanitas potest, quam omnibus partibus in se assumptis.

CERTAMEN II.

Vnio etiam partium humanitatis in se assumpta ad vnionem cum verbo monstratur.

Abulens. vbi proximè, Soar. d. cit. sect. 5. §. Dico certò 3. Vazq. citato capite, numero 10. asserunt absolutè vnionem animæ, & materiæ humanitatis Christi in se, neque assumptam à verbo, neque ipsi hypostaticè fuisse vnitam: quin oppositum ridiculum esse ait Vazq. ipse verò & Soar. cum asserant, vt vidimus, totam simul humanitatem de facto vnitam verbo fuisse, ac proinde, quatenus in ea est, quicquid in illa est verbo fuisse vnitum, licet in se vnitum non fuerit, putant, adhuc non vnita vnione partium ad verbum, totius humanitatis vnionem posse defèdi. Quæ quidem in Abulensis sententia defendi minimè potest. Cum enim vnio totius compositionem, non minus, quam partis, intime, & essentialiter ingrediatur, sicut altera non vnita, tota humanitas non esset vnita, ita neque non vnita vnione humanitas tota vnione eorum, quibus essentialiter constat, quam solam Abulensis admittit, poterit vniri. Sed quatenus hanc difficultatem Vasquez, & Soarez euadant proximè videbimus. Ex suppositione autem, quod tota humanitas simul vnita verbo non fuerit, sed vnionibus solummodo partium in se, vt docuimus fore etiam verbo, vnendam partium vnionem in se sumptam probat Vasquez ab absurdo: quia aliàs tota vnio humanitatis ad verbum facta esset ante vnionem partium inter se se. Ego verò eiusmodi illationem non assequor; quia neque humanitatem existere posse ante vnionem vlla prioritate intelligo; neque vniri verbo, quin proprii naturæ in se absolutè existat. Quod si vnionem humanitatis sola vnione partium ad verbum intelligat nihil est in illatione absurdi, vt ex q. 2. constabit; vnionem autem partium ad verbum, quin vnatur ad verbum vnio ea-

rum inter se se, humanitatis vnionem absolutè vocare putarem ego absurdus; Sed nec Soarj, & Vasquez effugium securum est; eo quippè modo, quo animam, & materiam humanitatis à Verbo assumptas, ipsique vnitas ratione vnionis indiuisibilis totius humanitatis ad verbum defenditur de vnione earum inter se vnitam verbo negant: cum tamen æquè essentialiter vnione animæ, & materiæ, atque his partibus constare humanitatem doceant, in quo à consequentia apertè deficiunt.

2 Dicendum igitur tertio, in hac quæstione est vnionem partium humanitatis inter se se, nec solum partes ipsas, in se ipsa vnitam verbo fuisse, atque ab illo assumptam. probatur: quia humanitas absolutè, & tota atque perfectè, & integra, saltem quoad essentialia in se absolutè vnita hypostaticè verbo fuit ex fidei dogmate probato d. 1. q. 3. atqui non potuit vniri tota humanitas quoad essentialia in se ipsa, nisi vnatur in se vnio partium inter se se: ergò vnio partium inter se se fuit verbo in se ipsa vnita. Minor probatur: quia humanitas tota non potuit vniri verbo vnione indiuisibili, quia tota simul indiuisibiliter vnatur, vt probauit cert. 2. n. 5. ergò vnione diuisibili eorum quibus essentialiter constat solummodo potuit vniri: ac proinde sic fuit solummodo vnitas; atqui non minus essentialiter constat vnione partium, quam partibus ipsis; ergò vnita fuit partialiter vnione ad verbum vnionis suarum partium inter se se. Minor probata abundè à nobis est in physicis. Etenim implicat manentibus omnibus quibus essentialiter res constat, nõ manere rem ipsam, cum nihil aliud realiter, & formaliter res sit, quam ea omnia, quibus essentialiter constat, atqui manentibus partibus omnibus humanitatis, solaque pereunte vnione non manet humanitas, ergò non partes solum sunt omnia, quibus humanitas essentialiter constat, sed præterea vnio ex essentialibus humanitatis est, dices non esse essentialia constitutum, sed essentialia requisitum ad humanitatem. Verba dicit, quæ non accipio. Si enim humanitas solum constat tanquàm essentialibus constitutiuis partibus, nempe anima, & corpore seu materia: ad nihil horum vnio requiritur essentialiter, ac necessariò cum sine illa existant: ergò aliquid aliud assignare in humanitate debes, ad quod essentialiter ac necessariò vnio requiratur, quod nequit esse ipsa vnio cum ipsa sua essentia non requisitum ad se ipsam sit quare dum tria incompositio quibus essentialiter constat refugis admittere, atque ideò vnionem à constitutiuo reiciis essentiali igno, & paradoxè aliud admittere cogeris, atque insuper aliud essentialiter requisitum.

3 Confirmatur, à paritate vnionis partium substantiæ, quæ in se ipsa ad vnionem quantitatè, & qualitate extense vnatur, vt totum subiectum, quantum vel quale constituitur. Secundò aptius à paritate vnionis partium materiæ; quæ vt tota animo rationali vnatur, & ipsa vnio partium in se, ac secundum se vniri animo rationali debet. Sed dices corpus Christi in Euchar. toti quantitatè panis indiuisibiliter vnitum esse vnione indiuisibili, cum ex parte sui, licet corpus diuisibile sit, tum ex parte quantitatè diuisibilis. Hoc impugnat concl. 2. cert. 1. n. 5. positam, ex qua hanc probauimus ex parte. Et licet admitti possit, & negari consequentia illi concl. opposita ob rationem qua illam ex nostris principiis à priori probabamus, tamen salum omninò est, & profus negandum. Oppones 2. directè contra hanc concl. dogma illud Cathol. Quod semel assumptis nunquam dimittit. atqui si vnionem in se assumptam cum in trid. quo pertinet vnio non potuerit esse verbo vnita, vt patet, quod semel assumptam dimittit à se ergo non fuit vnio partium essential. hum. in se, ac secundum se verbo vnita, ab eoq; assumpta. Vrgetur quia si hoc proloquium dogmaticè vnuerfalem, saltem de essentialibus constitutiuis humanitatis verum ac fixum non sit corrumpit veritas de vnione corporis, & animæ in triduo mortis ad verbum, quam vnice Patres, & Concilia ex proloq. stabilis, Resp. scilicet dimissionem propriè dicere aliquid separare à se dimittit; etiam; ad quod opus est, vt dimissum, ac separatum in se maneat, an seruetur qui moritur, dimittit, aut manumitti dici poterit, & tamè sub dominio heri non manet; quare in vnione partium, quæ

quæ in triduo mortis perit dimisso locum non habuit, nec potuit; habere autem in corpore, & anima, quæ tunc permanere, nisi tunc vnio persisteret: quare rectè Patres ex proloquio illo vnitas tunc verbo manifestè probantur. Quam solutionem è Patrum, & Conciliorum mente esse illud facile probat: quod cum totam humanitatem, quæ in triduo illo neque in se fuit, neque verbo vnita assumptam in se, verboque vnitam dogmaticè doceant, tamen illo proloquio ad constantiam vnionis animi, & corporis, quæ tunc manserunt, statuendam utebantur: quia dimissio persisterentium solum esse potest, non peruenientium, ex quibus pro triduo illo, & vnio partium, & humanitas fuit.

4 Difficilius obicitur vt tota humanitas vnatur hyposthatice verbo opus est, vt vnio partium illius in se verbo vnatur: ergo pro priori naturæ supponi debet earum vnio producta à Virgine, quam tota humanitas vnatur: ergo pro priori naturæ B. Virgo produxit, siue genuit humanitatem, quam esset homo Deus. Patet: quia homo Deus formaliter est per vnionem totius humanitatis ad verbum: atqui pro priori naturæ, quo B. Virgo produxit vnionem, & ratione illius humanitatem, humanitas non erat vnita hyposthatice verbo: ergo produxit B. Virgo humanitatem pro priori naturæ, quam esset homo Deus. Inde verò arguo sic: ergo B. Virgo non fuit mater Dei, imò neque hominis. Probatur: quia pro illo signo quo humanitatem genuit, ac produxit, neque Deus erat, neque homo: cum non esset pro illo in proprio supposito. nec in diuino. Secundo: quia id solum dicitur aliquod totum absolute facere, quod facit vltimum, quo illud in esse talis totius constituitur; non autem, quod facit alia, quæ ad illud vltimum præsupponuntur: vnde productio materis, & animæ generatio, & effectio hominis non est, sed sola vnionis productio: atque, si equus formam equinam produceret, non autem illam materiam vniret, non diceretur equum generare: atqui vltimum, quo homo Deus resultat, si vnio partium vnenda hyposthatice verbo fit, vt tota humanitas absolute vnatur, est vnio huius vnionis ad verbum, quam B. Virgo non attingit, estque vltimum quo resultat homo Deus: ergo B. Virgo non efficit, nec generat hominem Deum. Qui potentiam actiuam obedientialem in rebus omnibus ad effectus quosuis admittunt facile responderent B. Virginem concurrisse ad vnionem hyposthaticam vnionis partium humanitatis cum verbo, quod ego respondere non possum, qui eiusmodi potentiam nullatenus admitto.

5 Dicent alij nullam causam generantem attingere productionem substantiæ, sed solum vnionis partium naturæ, cui pro posteriori naturæ substantia adnascitur: & tamen suppositi, seu personæ efficientem, seu generantem causam dici: quia producit id ad quod immediatè suppositum, seu persona resultat. Sic ergo quia B. Virgo productione vnionis produxit humanitatem, quam immediatè secuta est vnio hyposthatica, & Deus homo rectè hominis Dei genitricem, & Matrem dici posse. Sed neque hac solutione vri nos possumus. Cum enim modos substantiæ, & personalitatis naturæ superadditos, & agnascetes discicimus d. proxm. q. 2. eam rationem, & paritatem admittere nequimus. Secundo: quia eo adhuc admisso paritas non tenet. Etsi enim ita res in exemplo illo habeat: quia substantia, & personalitas naturaliter ex humanitate, vel alia quauis natura producta naturali sequela prouenit, qua naturaliter suppositum, & persona constituitur: ac proinde productione vnionis, qua natura substantialis producitur, aut generatur, suppositum & persona produci, vel generari merito dicatur, quia, qui dat formam dat consequentiam ad formam, vt vulgari axiomate fertur; at in casu nostro cum vnio hyposthatice vnionem partium humanitatis naturaliter non sequatur, sed supernaturalis prorsus effectus sit paritas non tenet. Verum ex nostra doctrina de substantiæ, & personalitatis essentia, qua huius difficultatis effugia omnia videbantur præcludi, est solutio expeditior. Cum

enim substantia propria naturæ sit productio ipsius independenter ab vnione ad aliud, quod pars ipsius non fit: atque aliena sit productio ipsius dependenter ab vnione ad alienum suppositum, vel personam: fit, vt vnio partium humanitatis aliena verbi personalitate suppositandæ debeat produci, & existere dependenter ab vnione ad verbi personalitatem, ad quam vt minimum vnio hyposthatice ex vi suæ productionis necessario, & inuitabiliter necessario sequatur: quare B. Virgo, quæ eiusmodi vnionis partium humanitatis existentiam proculdubio attingit, & produxit, & vnionem hyposthaticam necessarius consequentem, quam quæ formam productam consequuntur, produxisse potiori iure dicitur, atque generatione humanitatis genuisse hominem Deum.



Q V Æ S T I O II.

An corpus per animam assumptum à verbo fuerit, atque anima per mentem.

PRÆSENTI quæstioni locum fecerunt verba Synodi 6. in edicto fidei Constantini Pogonati approbato à Leone Papa 2. Nazianzeni in superorato. 35. circa finem, & orat. 42. post med. & orat. 51. Damasceni 3. de fide c. 6. August. 18. de Agone Christiano, & epist. 3. Ruffini exposit. symboli ad illa verba: *Qui conceptus est de spiritu S. ex Maria virgine.* Nizetæ in orat. 3. Apologet. Naz. ad illa verba: *assumpta caro.* Hi enim omnes aiunt carnem media anima, seu per animam assumptam à verbo fuisse: aliqui verò eorum animam etiam medio spiritu, & mente, seu per Spiritum, ac mentem. Id quod verum aliquo sensu habere merito Doctores scholastici omnes ad vnum conueniunt; licet in sensu designando paucis eorum cum aliis conueniunt.

CERTAMEN I.

Aliorum sententia consulantur.

1 **D**Vrand. in 3. d. 2. q. 9. totam humanitatem indiuisibiliter assumptam, verboque vnitam ait: sicque exæquo eius partes; licet prius, dignitatis ordine solum anima, vt pote nobilior, atque in redemptionis fructu participando carne, seu corpore potior, assumpta à verbo merito dicatur. Illud de assumptione partium ratione assumptionis indiuisibilis humanitatis totius impugnatum satis à nobis est q. 1. cert. n. 4. & 5. Prioritas vero ordine dignitatis solum satis non est, nisi amplius explicetur, vt corpus, seu caro media anima, seu per animam dicatur assumpta. Caiet. 3. p. q. 6. a. 1. Capreol. in 2. d. 15. a. 3. ad argumenta secundo loco adducta contra 1. concl. apud quem Heruzus. Palud. in 3. d. 2. q. 2. a. 2. concl. 1. afferunt carnem vnitam per animam, quia existit per animam eiusque existentiam, sicut vniuersim materia per existentiam formæ in sua doctrina: nequit autem vniiri caro, seu materia verbo nisi existat: cum nihil vniibile sit alteri, dum in pura potentia est: id eoque à S. Thom. ibi dictum volunt. *Non enim esset assumptibilis, caro, nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem.* Materiam non existere per existentiam formæ abunde monstrabamus in physicis contra Thomistas. Sed nunc ex eo principio eorum rationem refello. Etenim materia vniibilis est formæ, cuius existentiam per vnionem participat, & qua ponitur formaliter in actu, quin pro priori ad eiusmodi vnionem supponatur ens in actu, sed solum ens in

P p 3 potentia: